



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 9. Fœminarum aspectus nocet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Certè solum ad solam accedere, nulla religionis ratio permittit. S. Basilius in regula. De S. Augustino Possidonius in vita: si fortè ab aliquibus fœminis, ut videretur, vel salutaretur, rogabatur; nunquam sinè Clericis testibus ad eas intrabat; vel solus cum solis nunquam est locutus; nec si secretorum aliquid interesset, Sanct. Carolus Borron. cum fœmina, etiam confanguinea, nunquam locutus est; nisi ex gravioribus domesticis aliqui interessent. ut habet vita l. 7. c. 6.

Fœminarum congressus, ut præcipua diaboli tela, quæ maximos viros præcipites interdum egerunt, omnino vitandi. Quodque mirum in hoc genere: etiamsi nulla libido, nulla peccandi voluntas, nihilque, nisi sanctum in diis, factisque, admiremur; & tamen in ipso congressu naturæ titillatio quadam, ut sexus statim diversitas sentiat. Earum oculi sunt faeces; vox etiam muliebris sensum corrumpit. Quamobrem felix, qui rarè cum eis versatur; felicior, qui nunquam. S. Basilius serm. quod castitas vitæ spir. fundamentum.

Quod si te frequentè cum fœminis conversari, nec ullò inde detrimento affici, dixeris; id quidam mihi persuaderi sinam. At illud item valim omnibus fidem adhiberi, à quibus lapides extenuari, ac rupes aquæ guttis continenter cadentibus excavari dicunt quorum verborum hujusmodi sensus est: quid rupe durius fingi queat? quid item aqua mollius? Et quidem aquæ guttula, & tamen assiduitas, naturam vincit. Quod si natura, quæ agrè dimoveri potest, dimovetur; idque, quod minime debebat, perpetitur: quæ tandem arte, ac ratione, voluntas, quæ facile novetur à consuetudine, non vincatur, & evertatur? S. Hieronymus Pelus. l. 2. ep. 284. Palladio Episcopo.

Mulierum aspectus sagitta venenò illita; quæ ferit animos, & venenum immittit. S. Nilus or. 2. de luxuria.

Ad ignem potius ardentem, quam ad mulierem juvenem, juvenis appropinqua. Idem ibidem.

Nè velis dicere: loquor cum muliere, & mundus sum. Ignem luxuriæ accedit confabulatio mulierum. Facies mulieris sagitta est truculenta; infixit vulnus in anima, & venenum. Magis appropinqua igni ardenti, quam mulieri. Hugo de S. Victore. de contemptu Mundi.

Ipse vel aspectus mulieris telum est venenò thali litum. Quemadmodum splendorem lucernæ alit oleum; sic & colloquium mulieris ignem reaccendit voluptatis. S. Antiochus Abb. hom. 17.

Non est tuta mulierum, quantumcunque sanctarum, cum viris etiam Religiosisimis co-

habitatio, & familiaritas: quia potest fieri, ut amor à spiritu incipiat. Sed vehementer formidandum est, nè per blanditias sensim carne consumatur. Quocirca scripsit quædam devota mulier: nihil nihil ita se habere suspectum, sicut dilectionem; & plus quam diabolum; etiam dum circa divina, & personas probatæ sanctitatis, versatur. Gerson de distinct. verar. vision. signò. 5.

Magna est inter utrumque sexum adhibenda custodia: quoniam, operante hoste antiquò, in illa chara Societate, naturali vinculo colligata, periculum dulce ingestum est. Simon Cast. l. 9. c. 32.

Præclarè senior ille apud Sophronium in præto spir. c. 119. filioli, sal ex aqua est; & si appropinquet aquæ, mox solvitur, & deficit. Et Monachus est ex muliere; si appropinquet mulieri, solvitur & ipse. S. Thomas omnes mulieres semper horruit, & fugit, quasi serpentes; etiam postquam victor tentationem à duobus angelis cinctus est. Regina sciliç, S. Ludovici ex Franciscana familia Episcopi mater, eum ad se Neapolim venientem, ut filium suum, more Gallicò osculari volebat. Renuit ille. Tum illa: nunquid non sum mater tua? cui illa: sed mulier es; quam Servo Dei osculari non licet. Cornelius in Num. c. 25. v. 18.

S. Xaverius dicere solebat: fœminas majorè periculò vel castitatis, vel famæ, adiri, quam fructu. Corn. in c. 34. Gen.

Quidam Frater accusatus, quod manum tetigisset mulieris, ait: mulier bona fuit. Respondit Sanct. Jordanus: pluvia bona est, & terra bona est; lutum tamen ex horum commixtione generatur. Bolland. 13. Febr. in vita c. 8.

§. IX.

Fœminarum aspectus nocet.

Nec capiaris visibus illius. Prov. 6. 25. Audivi in Belgio matronam sapientem, & sanctam; monentem Confessarios, etiam Religiosos, & sanctos; ut caverent sibi ab aspectu, & colloquiis fœminarum poenitentium: quia inquietabat illa, adeò illices sunt oculi earum; ut si in virum quempiam illos defigant, illum amore sui planè irretient. Addebat: certa sum, non esse virum adeò gravem, & constantem, cui, si fixè eum reciprocè per quadrantem intuita fuero, non persuaderim, quidquid volucro. Cornelius hic.

Non intuearis vinum, quando flavescit etc. Prov. 23. 31. Non intelligitur de colore vini, sed mulieris pulchræ, in vitro, id est, corpore vitrò debiliori. S. Vincentius Ferr. S. de exalt. S. Cruc.

Vidi similia præcedente paragraphò inter Patres.

